Carmina Epicedia
Magnifici & Nobilss.mi Viri.
SIGISMVNDI A NIBELSCHÜTZ
& Gafron/ in Alten Wohlaw/
CONSILIARII LIGNIC. & DUCATUS WOLAVIENSIS PRÆFECTI

MEMORIÆ CONSECRATA

BREGÆ

Typis Augustini Gründeri

A. cIↃ IↃC XXX.

DUxerit illuſtrem, quod, NIBELSCHÜTZIUS, ortum,
Natalibus, non neſcijt.
Sed genus, & proavos, & quæ non fecerat ipſe,
Sua non vocanda, cenſuit.
Nam galea, & clypeus, non Nobilitatis honores
Nobilibus obtulit viris.
Illos at meruit virtus; inſignia verò
Sunt teſtis & ſignum iſtius.
Qui virtute caret, monſtratq; inſignia avorum, eſt
Nobilis imaginarius.
Hinc illá ſtuduit virtute excellere ſemper,
Qua nobiles ſunt facti, avi.
Quodq; excelluerit, vanum eſt, me dicere, fama
Vulgavit illud hactenùs.
Virtus Principibus charum illum reddidit, inde
Præfectus amplo muneri eſt.
Virtus imô DEO charum illum reddidit, inde
Noluit in orbe hunc vivere;
Et perferre diu crudelis fulmina ſortis:
Ad ſe, aſt, recepit ſpiritum.
Perfectá ornatus virtute is in æthere gaudet;
Lugendum id haut, favendum at eſt.
Prodromus eſt, obitus magnorum, ſæpè, virorum,
Varij mali: hoc fuget DEUS.

Chriſtophorus Rößler D.
συμπαθῶς S.

Porrò JEHOVA! quem laboribus dabis
Rex magne finem? tot ruinas urbium,
Tot oppidorum cernimus cadavera:
Et illa fortunata quondam Patria
Lentâ fatiſcit morte, nec poteſt mori!
Immò priores cladibus ſemper novis
Clades adauges: poſt tot atra funera,
Quæ luctuoſa contigerunt hactenus,
Etiam beatus ille Niebelſchizius,
Sidus venuſtum nobiliſſimæ domus,
Prudens futuri, temporumq́ perſpicax,
Heri miniſter fidus & ſollers ſui,
Terris ademtus patrium coelum petit.
Te Summe venerans precibus, o Pater, invoco:
Ut Patriæ portenta verrunces benè.
Plerumq; funus tale maximos trahit
Secum dolores, atq; poenas indicat,
Quibus nocentem Numinis læſi furor
Punit catervam. Tu ſoluta corporis
Vitæq́ vinclis Anima, pura, candida,
Procul periclis in Polo tutum tenes
Portum quietis, & perennis gaudii
Scelerumq́ libera, quæ patramus invicem
Plebes maligna, contueris jugiter
Numen trinunum in Patre, Nato, Spiritu.

Nos dira rabies Martis & tristis fames,
Nos pestilens venenum & infelix lues,
Rerumq; egestas omnium malè conficit.
Hæc inter illa mentis entheæ bona,
Queîs te beârat pronus ætheris favor,
Beate SIGISMUNDE jam requirimus
Frustrà querentes! tu novellus incola
Sedis beatæ vana terræ despicis
Revocande nulli: moesta nec te fletibus
Decoret Marita, nec propinquorum cohors.
Dum publicis parentat omnis Patria
Tibi querelis, diffluitq; luctibus,
Domesticorum nemo voces percipit
Victas dolore, qui universis obtigit.
Commune funus prosequamur! calamitas
Privata paucos tangit, omnes publica.

Extremum honorem soluturus
ex tempore quidem, sed affectu
serio scribebat

BERNHARDUS GUILIELMUS
NÜSSLERUS.

DIA-

DIALOGISMUS.

*In vitæ humanæ fragilitatem, reciproca-
tur per Antithesin.*

DIc age, quid terris mortale? dolorq; laborq;?
Inconstans? sortis non nisi ludus? HOMO.
Dic quid curarum pelagus? quid sordibus inquam
Subjectum? vel quid lanx quoq; cladis? HOMO.
Quid seges invidiæ? mœroris nænia? ventus?
Bulla? vapor? pulvis? graminis instar? HOMO.

Antithesis.

Dic age, quid cælis est immortale? Beatum?
Constans? quid cornu prosperitatis? HOMO
Immune à curis? squalloris sordibus expers?
Expers humanæ vel quoq; cladis? HOMO.
Pura quid integritas? requies? divina voluptas?
Lucida stella Poli? Solis ad instar? HOMO.

* * *

Hinc valeat vita hæc: cælestis salveat: istìc,
O quantus quæstus, Vita perennis erit!

Condolentiæ caußâ scriptus
â
GEORGIO FABRICIO S. Falco-
montano, Templi Paroch: Bregæ
Pastore & Seniore Primario.

Nibelschitziades FUIT! *ut nec Stemma, nec insons*
Vita, nec Ingenium Fata inhibere queunt!
Nibelschitziades FUIT! *ut nec firmior ætas,*
Nec sapiens virtus Fata inhibere queunt!
Nibelschiziades FUIT! *ut nec Lingva diserta,*
Nec bonitas sortis Fata inhibere queunt!
Disce mori dum vivis & es salvusq; valensq;:
Post vitam si vis vivere, disce mori.
Hoc didicit Noster, qui nunc lugetur. & ipsi
Post vitam invitam jam nova vita datur.
Felix qui vitam pro morte acquiret. & Orbis
Hac pro sorde viret perpete sorte DEI.

M. JOAN. GÜNTHERUS.
in Bregano Gr. Lingvar. Prof.

EPITAPHIUM.

TU defuncte bonis, quos heic memorare recuso,
Laudaris, qui non sunt sine laude, viris.
FORMOSI PECORIS CUSTOS FORMOSIOR IPSE
Diceris, hac urna qui requiescis humi!

Rogatu Nösleriano deprop.

M. GEORG. GERHARDUS.
Bregei Profess.

Vir, quem fatoium favo r& vis optima Divûm
In terris superesse jubent, dum publica poscunt
Commoda, justitiaq; tenor, populiq; regundi

Non

Non fucatus amor, quodq; est pars maxima rerum,
Principis ipsa salus; ceu munus ab æthere lapsum
Aethera celsa super non est sine laude vehendus.
At postquam terris, vitæ saturum atq; malorum
Quos tulit, eripiunt iterum, Patrioq; locandum,
Primitùs unde suum nobiscum traxerat ortum,
Corporis exsortem reddunt mortalis Olympo;
Quô magis illius virtus & candor honesti
Splenduit; hinc veniet majore dolore dolendus.
Talis eras: heu! Talis eras: (ter dicere fas sit:)
Talis eras, Vir Magne, tuis, Patriæq;, Duciq;,
Et cunctis, hæc-ista tibi dum munere Divûm
Vita superstes erat. Non jam dicam ordine longo
Et genus, & proavos, quorum te nobile sanguen
Huic ævo primùm mortales duxit in auras.
Est equidem non parvus honos, â gente vetustâ
Ducere ritè suum genus: ipsa propago parentum
Si modò virtutem factis & divite famâ
Exæquare studet. Quod te fecisse negabit
Non quoq; livor iners. Sed virtus propria dudum
Te Patriæ, Patriæq; Patri, charisq; propinquis,
Et cunctis ità commendavit: ut hæc quoq; primus
Nobilitatis apex, si non foret alter Avorum,
Esse queat. Testes do, quos tua candida virtus
Ingenti cum laude sibi devinxit, & hinc-nunc
Ereptum fatis deflent melioribus orbi.
Sed cassos virtute fleat, qui mortuus ipse est.
Te virtus tua pura mori vetat: ipsa polo mors
Quem locat, & mortis defunctum nexibus atræ
Nunc vitâ meliore beat. Nil juris & æqui
Sangvinem in Heroum morti datur: his quia cælum
Quod repetunt, confert vitæ immortalis honorem,
Mortales inter virtus aut frigore marcet;
Aut telis petitur livoris; reddita Divis,

Ceu

Ceu decus amissum, lacrymis defletur amaris.
Intereà dum lugendum est, lugemus ademptum;
Sed modicè. Nam felices nec fasq; piumq; est,
Vita quibus melior tandem defertur Olympo,
Flere diu. Dum virtuti sua gloria stabit,
Quæ stabit tàm certa simul, quàm certa propago
Humani fuerit generis, non ulla, noverca
Magnorum non æqua virorum, oblivio factis
Officiet, meritisq; tuis. Quem didita terris
Fama vehit volucri pennâ super æthera notum,
Non moritur, quando moritur: POST FUNERA VIVIT.

GUILIELMUS COTHURNIUS.

MEmbra Nibelschützi Pario dignissima templo,
Compone in lachrymis, terra Wolava, piis.
Ille ingens animo, subtilis acumine, magnus
Doctrina, rerum dexteritate potens,
In te versavit glomeratæ pondera mentis:
Hoc tua consilii robore nîxa salus.
Illius ratio, rebusq; modestia agendis
Prudenter medium pergere novit iter.
Is quoq; sollicitas agitavit pectore curas,
Ne turbata forent sacra metusq; Dei.
Quàm benè præcedit liber virtute fideq;,
Ne matris videat funera mœsta suæ.
Dii prohibete malum, melioraq; reddite nobis!
Ipsaq;, si nostri cura sit, aura vovet.

qualecunq; hoc pietatis officium
ex tempore F.
C. COLERUS.

FINIS.